



**Joannis Atrociani Elegia de bello rustico, anno redempti orbis  
M. D. XXV. in Germania exorto. : Praeterea. eiusdem Joannis  
Atrociani Epigrammata aliquot selectiora.**

<https://hdl.handle.net/1874/416854>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**


- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

X. oct.











210


erae Latinae

Octavo n°. 53.









N. 88. C.

B 42 1

# IOANNIS

ATROCIANI ELEGIA DE  
bello ruffico, anno redempti orbis  
M. D. XXV. in Ger-  
mania exorto.

PRAETEREA.

*Eiusdem Ioannis Atrociani Epigrammata  
aliquot selectiora.*

*Praemissa etiam est Epistola ad bonas  
litteras hortatoria.*

*ex dono Buchely*



TO ANNALS

OF THE

REIGN OF

CHARLES THE FIRST

BY

JOHN BURNET

AND

JOHN HALL

OF THE

UNIVERSITY OF OXFORD

PRINTED

BY

JOHN BURNET

AND

JOHN HALL

OF THE

UNIVERSITY OF OXFORD

PRINTED

BY

JOHN BURNET

AND

JOHN HALL

OF THE

UNIVERSITY OF OXFORD

PRINTED

BY

JOHN BURNET

AD CANDIDVM LECTO-  
REM EPISTOLA.

**C**um literarum perniciēs, neglectusq; cum se-  
pius antea, tum maxime hoc infelicissimo sæcu-  
lo me male torqueat, candidissime lector, miror  
quæ Erynnis, quæ sue cacodæmon exagitet quosdam,  
qui uel in publicis contionibus non uerentur non solū  
contemnere quas nesciunt literas, uerum etiam dissua-  
dere, & ab eis auocare ingenuam pubem, parētibusq;  
persuadere ne pijs moribus & disciplinis imbuendam  
tradant, temerario quodam ausu non erubescunt. Ad  
quid, inquit, opus literis? Habes Euāgelia in linguā  
uernaculam tralata, quæ cum legere nouerit iuuetus,  
satis superq; instituta fuerit. O' meram rabiem, o' insa-  
num consilium. Sicne te docuit Christus adolescentiæ  
curam habere? quam tam sollicitè non uno in loco no-  
bis commēdauit: ubi inquit: Sinite paruulos uenire ad  
me. Et, Nisi facti fueritis sicut paruuli etc. Item, Si qs  
scandalizauerit unum ex his paruulis, ei melius foret,  
ut mola asinaria in collum eius suspensa in maris pro-  
fundum demergatur. etc. At tu, omnibus his posthabi-  
tis, non solum illi præbes ansam aspernādi literas, qui-  
bus tamen optime & componitur, & ab illicitis pra-  
uisq; actionibus cohibetur: sed & contemnendi, exhibi-  
landiq; contra proximi charitatem, doctos, bonosq;  
omnes. Nescis, neq; lectiōe uernacula, si ita rem agi ue-



EPISTOLA

lis, sed ut Christi dogmata intus in corde latent, insi-  
 xaq; hæreant esse necessarium? Neq; eò solum tuam ten-  
 dere debere orationem, ut Euangelia à pueris legeren-  
 tur, sed qua uia commodiore illis assuescerent, pieq; ac  
 sincere ad Christi doctrinam amplectendam simul et  
 opere explendam perducì possent, tibi esse perpenden-  
 dum. Certe non fiet hoc unius aut alterius Euangelij  
 frigida lectione. Neq; uel tantulū leget dissoluta iuuen-  
 tus. Putásne quæ natura in malum proná est, eam suo  
 iuri relictam ultro amplexuram aut aggressuram di-  
 uinarum literarū lectionem? Ignoras quod hactenus  
 blanditijs, minis, interdum uerberibus, deniq; totis im-  
 missis calcaribus uix adigipotuerit effrena iuuetus ad  
 literarum quantumlibet etiam amœnarum dilectionem?  
 Illi ipsi tu persuasurum te speras inani admonitione ut  
 literas sacras amplectatur? Profecto falleris: mundus,  
 mundus est, pmanebitq; perpetuo fallax & insipidus.  
 Sed habent (inquiunt) qui lectionē uernaculam ocyus  
 doceant, Præceptores dicunt Germanicos. At quod  
 barathrum immanius, quas insidias perniciosiores,  
 quos laqueos tenaciores diabolus unquam mundo ten-  
 dere potuit? Noui ex Germanicis istis præceptoribus,  
 qui secum ad fornicem iuuentutem abducerent: noui  
 qui tam dissolutis moribus, tam scurrilibus uerbis suos  
 docerent, ut uel Leno inter prostituta scorta proferre  
 erubesceret: imò uidi apud eos, ipsos adolescentes inter  
 scorta

## AD LECTOREM

*scorta pasci. Quod si mores utrinque componas, inuenies ab his leuitatem, inobedientiam, luxuriam, audaciam, temeritatem (ut quos increpare non audeant, ne bolus e' faucibus eripiatur, & famelici tabescant) lasciuiam insuper, & omnium sacrarum simul & profanarum reru' contemptum tradi, nullum honorem, nullam reuerentiam senibus exhiberi, etiamsi Cathones praestent omnes: uerius quoque omnium fere uitiorum chaos auspicari, quam quicquam sacri aut pie eruditionis doceri: postremo ius ac phas nihili duci, et uitium premio pensari. Quid de tam dissoluta, tam effrena, tam procaci, tam elati animi iuuentute in posterum sperandum, quae nullum uirtutis genus iam ab initio uel nauici facere assueuerit? Olim, & adhuc apud probatos contra, summam grauitatem, obsequium sedulum, continentiam, prouidentiam, timorem et reuerentiam persuadi (iuxta dictum Pauli: alter alterum honore praue niat) ad haec, diuini simul et humani iuris rationem haberi, certis quibusdam legibus astringi, denique studia honesta, & honestissimorum uirorum exempla literis prodita enarrari, et ad simile quoddam tentandum instigari conspicias iuuentute. Si haec te non mouent, moueat principio sissima haec tempora nostra, in quibus praecipue opus doctissimis uiris. Nemo enim insicias ibit, indoctorum (ne dicam etiam doctorum quorundam) sacerdotum uitio, rusticum bellum exortum, iustitiam propulsam, oes*

## EPISTOLA.

uirtutis species sub Euangelij prætextu in præceps de-  
 turbatas, imò ferreum seculum mundo exortū: ut qui  
 præcipientes inuerecunde docere expetiuerint prius, quàm  
 discere. Præterea, interire passim nobilia ingenia, ut  
 timendum sit, ne uel post admodum paucos annos fœ-  
 da ignorantie tenebræ penitus rursus inhorrescant.  
 Sed impostor ille, uniuersi generis humani aduersarius  
 cacodæmon pessimus, non commodiore uia nos sedu-  
 cendos cōspicit, quàm ut ueritatis luce sopita, densissi-  
 mis tenebris mundum inuoluat. Conspicit enim litera-  
 rum sincera cognitione, rerumquæ experientia, nos in-  
 ueræ lucis et euangelicæ doctrinæ cognitionem perdu-  
 cendos: itaque illi iam totis remis uelisque enitendum, ta-  
 lesquæ doctores subornandi, ne diuini spiritus flatu, quo  
 tendimus, prouehamur. Et profecto crede mihi, litera-  
 rum peritiam uia nobis ad ueritatis lumen aperuit: eisdem  
 neglectis, fœda barbaries rursus imminebit: id quod  
 sedulo curat impostor antiquus. Neque hoc te mouebit  
 parum: Olim in pretio erat doctus, et uix totidem suffi-  
 ciebat honos, quot humanæ uitæ necessitas exgrebat.  
 At hi auertere student à literis candidatos, et stolidè  
 opinantur sublato honore, sublatis præmijs, sublatis  
 denique omnibus ad uirtutem illecebris, remissam iuuen-  
 tutem instinctu proprio ad literarum amplexum pro-  
 peraturam. O execrandam uersutiam. Omnia demo-  
 liri student, et quibus studiosi alerentur, in uulgus di-  
 spergi

A D L E C T O R E M

ſperge ſe expetere ſimulant, quo illius, quod quæ carnis ſunt libenter amplectitur, fauorem ſibi conciliant. Interim tamẽ ipſi uel prædiuitibus uiduis, uel opulentiſſimis nialibus, aut alia quauis aſtutia præcauent, ut terrena abundant, & ſummis in delicijs uictitent. ut proſpecto mihi apparet, priſcorum eiſce farinæ ſacrificulorum quosdam lotio perfuſiſſe, nos, iſtos penitus cõcacare. Et tamen omnes in utramuiſ aurem dormitamur, iſta non animaduertentes. Sed decet fortaiſſis inſtitutum illud ſidiſragos, et æque phas ac nephas ducentes. Nõ enim uolunt aliud, quàm ut Muſis literisq; ſublatis, ipſi ſuſpiciãtur ſoli. Timentq; uel ſimiles, uel doctiores, quo minus ipſis applaudat inſcia plebes. Hic rurſum habent quo ſe fulciant. Chriſtus, inquit, piſcato ribus, textoribus, reliquisq; agreſtioris ſecis hominibus ſua dogmata poſteris tradenda commẽdauit, eiſdemq; ſpiritum ſanctum tranſmiſit, non legis peritis & mundana doctrina pollentibus. Attende pauliſper, et rem exactius penſicula: Chriſtus legis peritos ueteres utres & inidoneos quibus muſtum committeretur cenſuit, ut quorum corda iam obduruerant. neq; de illis, ſed de a doleſcentia nobis ſermo. Docuit autẽ agreſtiores, ſed prouectioris ætatis, ut quos iam iam ad euangelij prædicandi munus accingit, & quos coram, & in eccleſiæ primordijs quaſi miraculi loco tam inſtructos uideri uellet; illos tamen neq; ſceleri (non enim mihi immeriti

EPISTOLA.

to scelus dici uidentur) instituendos tradidit: neq; pro-  
 pterea ineruditam effrenamq; iuuentutem negligendā,  
 aut frigide curandam docuit: sed ipsemet summa boni-  
 tas, longo tempore, summis laboribus, piētissimis admo-  
 nitionibus, conuersatione mitissima, miraculis quoque  
 omnibus modis suspiciendis, uix eò perduxit ab incūte  
 etate pie enutritos, ut ul' paucissimi sincere sua dogma-  
 ta caperent: id quod sacrae probant litera, diuersa etiā  
 & à diuersis tradita Euangelia, & ab ecclesia repro-  
 bata: imò & ipse Petrus Apostolorum antesignanus,  
 quem Paulus iudaizantem increpat. Quomodo ergo  
 putas, successisset, si pessimis instituti moribus coaluis-  
 sent, uel à cunabulis (ut aiunt) pubem salutaribus mo-  
 nitis educandam suscepisset? Quantis sudoribus (si eam  
 saltem suo iuri relinquere, & nihil miraculi adere uo-  
 luisset) quàm uarijs etiā illecebris illi tum opus fuisset?  
 At quanto etiam excellentiori feruētiori; spiritu Pau-  
 lus Gentium doctor, à teneris ad pedes Gamalielis edu-  
 catus, et accurate institutus, Christū est professus; q uel  
 solus argumento esse posset, quantum rerū pītia prae-  
 stet. Neq; huic tamen (quod obijcere posses) omnia sug-  
 gessisset spiritus, nisi memoriam studio renouasset. id  
 quod probant cum chlamyde transmissi libri. Vidēsne  
 quid intersit doctīne an rudes, benēne an perperā enu-  
 triti Christum profiteantur? Sed Christus (aiunt) prae-  
 buit gratiam, eius nondum est abbreviata manus. Et ue-

## AD LECTOREM

*re non est abbreviata, omnibus itaq; totis uiribus, etiã  
 ab ineunte etate enitendum, literisq; inuigilandum, ut  
 digni & idonei efficiantur tandem aliqui, quibus præ  
 dicandi Euangelij munus demandari possit. Christus  
 etiam præbet gratiam. uerum dicunt, præbet quidem,  
 at non omnes capiunt. Quomodo aut præbuerit qui-  
 busdam, qui sibi impudenter gratiam aut spiritum (ut  
 ipsi aiunt) collatum gloriantur, sanctissimisq; patribus  
 adimunt, eosq; cæcutiuisse asserunt, satis probant cru-  
 enta passim exempla non longe ante hac edita. Neque  
 ego tamen uelim absq; iudicio quicquam pueris tradi,  
 sed ut uiris honestis, & uitæ sanctimonia probatis, ne  
 torpescant, demãdentur instituendi, qui sacras atq; ho-  
 nestas disciplinas cum omni mansuetudine, omni mode-  
 stia, omni deniq; industria in eorum animos instillare  
 & à prauis exercitijs cohibere atq; auellere dinoscãt.  
 sic optima quæq; de matura fruge speranda. Quo enim  
 semel est imbuta recens (inquit Horatius) seruabit odo-  
 rem Testa diu. Hæc tecum, candide lector, cõmentari  
 placuit, ut eorum technas euitare studeas. Sed finem  
 facio, ne utraq; manu epistolium teneri oporteat. Tu le-  
 ctor optime, ama literas, studia honesta prosequere,  
 præceptores optimos selege, lenones deuita. Istos autem  
 execrandos literarum osores haud secus ac latrones  
 fuge (animarum enim, ingeniorumq; proditores sunt  
 pessimi) dignos qui uirgis cæsi, ab hominum consortio*

EPISTOLA.

longe relegentur. immo, turpissima morte affecti, ad or-  
cum demergantur. Quod licet hic euadant, æternos ta-  
men cruciatus minime euitare poterunt. Si enim literæ  
deperierint, profecto de re Christiana actum erit. Nā  
non uideo quibus studijs honestioribus iuuentus (quam  
exerceri, & quasi uarijs condimentis educari operæ  
pretium est) commodius potuerit coalescere. Vale.

ONOPHRYVS ATROC. LECTORI

Perniciosa uomunt totum uenena per orbem,  
 Qui temnunt pulchras plebs fera literulas.  
 Plebs sunt doctores quidam Germana iuuentus,  
 Qui pendunt nihili plebs fera literulas.  
 Et retrahunt teneros animos ne grammata discant,  
 Authores omnis plebs furibunda mali.  
 Hos ut tartaream pestem Germana iuuentus  
 Heus fuge, nam uirus impia turba uomit.

IOANNIS ATROCIANI ELI  
GIA DE BELLO RVSTICO

Anno redempti orbis M. D. XXV.

in Germania exorto.

VIS FVROR EXAGI-

tat Germanas undiq; gentes?

q Que pestis miseros ificit atra uiros?

Iustitiæ terrã qualis diuexat Erynnis?

In quã perniciem rustica turba ruit?

Arma peronatus Mauortia clamat arator,

Martia lueticus clamitat arma furor.

Concutit arma serox, placidus qui rura colebat,

Affectatq; orbis feruidus imperium.

Nomen habent uexilla tuum mitissime Iesu,

Et, Verbum domini tempus in omne manet.

Nomen Christe tuum nullus non fundit ab ore.

Omnis Paule tuum personat agricola.

Voce Euangelium ingeminant gens rustica, quamuis

Nemo euangelico uiuere more uelit.

Non tantum insanus quondam insanbat Orestes,

Nec Penthei genitrix tam furiosa fuit,

Vt nunc agricolæ, diuina lege superbi,

Et quibus est Christus semper in ore suo.

Credimus immites Phlegethonte exisse sorores

In nostram, faciant quo mala multa, plagam.

Eumenides



EPIGRAM.

Eumenides passim discursant, nulla furore  
 Non est plena domus, regnat ubiq; furor.  
 Inde est quod ferrū in dominos gens rustica stringit,  
 Et domino seruus denegat officium.  
 Defensare fera dominum qui morte solebat,  
 Nunc iugulat dominum seruulus ense suum.  
 Testatur crudele nefas Vinſperga, peremptos  
 Quæ luget claros nobilitate uiros.  
 Oppidulum infelix, quod nullum nomen habebat,  
 Occisis dominis nobile nomen habet.  
 Seruo quid credas? seruo quid credere possis?  
 Omnis seruorum contaminata fides.  
 Quam felix Vrbinus erat, quem cura fidelis  
 Seruabat serui nobilitata nece.  
 Sensit opem serui finita Scipio pugna.  
 Laudatur seruus Marce diserte tuus.  
 Euasit liber seruili Restio techna.  
 Concelebrant uernam tempora Gracche tuum.  
 Viuere qui cupiat, longam & producere uitam,  
 Agros hic linquat, rurículasq; seros.  
 Nemo magistratus audit, regesq; potentes,  
 Cæsareas leges, c.æsareasq; minas.  
 Scripturæ quàm nullus honos, quàm uilis ubiq;  
 Verbum qui domini prædicat ore pio.  
 Nulla salus monachis, non est uittata sacerdos  
 Tutâ, nihil tutum seruat ubiq; furor.

R V S T I C O .

Sacri raptantur calices, uestesq; sacratae,  
 Discite atq; iacent sub pede relliquiae.  
 Deuastata iacent etiam tinctoria sacra.  
 Angelicus panis non habet ille locum.  
 Diuorum delubra cadunt uastantibus armis.  
 Infelix plebes nil sinit esse sacrum.  
 Profer Diuorum effigies, depictaq; signa,  
 Auertent oculos rustica turba suos.  
 Prostituat si quis Lalagen, uel dulce canentem,  
 Auertent oculos contio nulla suos.  
 Aurum ostende rubens, auratam ostende figuram,  
 Nunquam uilescet nummus imaginibus.  
 Tempora sunt, magni quæ prædixere Prophetæ,  
 Et quæ non uani concinuere uiri.  
 Discessit uirgo, desunt Saturnia regna,  
 Venerunt duro ferrea secla pede.  
 Aetate hac prosum cecidit sanctissima uirtus,  
 Regnat ubiq; malum, regnat ubiq; scelus.  
 Omnia languescunt natiuo exhausta uigore,  
 Festinatq; suum mundus ad interitum.  
 Lympidiora olim præbebat lumina Titan,  
 Clarior & Phœbus lumine clarus erat.  
 Ipse uides pariter pulchram decrescere lunam,  
 Parcius & noctu luce micare sua.  
 Cretica flagrantis decrescit stella coronæ.  
 Lucis habet Veneris stella serena minus.

Sentit

DE BELLO

Sentit paulatim uidiuari luce Bootes,  
 Euaditq; istud stellula nulla malum.  
 Ardebat modo fulgenti carbunculus igne,  
 Fortius & tenebras irradiare nigras.  
 Quondam thura dabant molles meliora Sabæi,  
 Iam nec tam præstans India mittit ebur.  
 Virtutem amittunt frutices, herbæq; salubres,  
 Amittunt uires semina quæq; suas.  
 Falluntur medici, falluntur pharmacopœ.  
 Abrotani uires secula longa premunt.  
 Censes illesum pomis mansisse saporem?  
 Censen dulcorem uina tenere suum?  
 Mitius afflabant zephyri melioribus annis.  
 Ver mage formosum tempora prisca dabant;  
 Tunc mage mellifluo resonabant carmine syluæ.  
 Psallebant uolucres tunc mage dulce melos.  
 Quamuis cantillet modulos philomela canoros,  
 Imperfecta tamen debilitata canit.  
 Mirati ueteres longæui cornua cerui,  
 Nunc uix miramur cornua cerue tua.  
 Præcipitem leporis lapsum, ceruosq; uolantes,  
 Mirata est multum stirps ueneranda patrum.  
 Nos, quia deficere incipiunt cerui, leporesq;  
 Miramur ceruos parcius & lepores.  
 Vbera lacte domum uaccas distenta uidebis  
 Gestare (ut quondam) caprigenumq; genus?

Tanta mo

R V S T I C O .

Tanta mole Ceres curuabit rustica plauſi.  
 Curuabis uites munere Bacche tuo?  
 Squamofî nequeunt piſces euadere damnunt,  
 Fluminibus piſces damna tulere ſuis.  
 Barbo quippe minor liquidis innafcitur undis.  
 Flumina iam breuior pascitat alta lupus.  
 Iſter lentefcit, lentefcunt flumina Rheni.  
 Diminuit curſum Strymonis unda ſuum.  
 Aurea nunc ramenta Tagus minuiſſe putatur.  
 Auri Pactolus fertur habere minus.  
 Nullus Erythreo inueniet tot gurgite gemmas,  
 Inuenit ueterum quot ſtudioſa manus.  
 Bethicâ prædiues fundebat multa metalla,  
 Attraxit uires Bethica terra ſuas.  
 Nec tam ſubtiles contexit aranea telas.  
 Dædaleæ bombyx nunc minus artis habet.  
 Nonne uides hoïum quàm nunc ſint corpora parua?  
 Nunquam tam paruus corpore mundus erat.  
 Quando adeo morum probitas iacuit, pietasq;?  
 Quando adeo fidei, iuſtitiæq; decus?  
 Quando adeo infelix regina pecunia mundus  
 Sic tibi ſeruiuit? ſic quoq; te coluit?  
 Quando adeo neglecta fuit dilectio fratrum,  
 Quam toties Chriſtus præcipit omnipotens?  
 Quando adeo placuit curare cutem interituram?  
 Viuimus ó uitam Sardanapale tuam.

Quando

DE BELLO

- Quando a deo illicito stimulatus adulter amore  
 Neglexit leges ó bone Christe tuas?  
 Quando a deo interijt rerum pulcherrimus ordo?  
 Quando a deo passim uita pudica ruit?  
 Nunquam stelligero deiecta superbia coelo  
 Aspernata magis numina magna fuit.  
 Qui non arma capit Christi non dicitur esse.  
 Bella gerunt Christo rustica turba suo.  
 Qui non bacchatur uulgi de more furentis,  
 Inter Christicolas non habet ille locum.  
 Non didicit Christum nisi qui simulachra perurit,  
 Atq; sacerdotum qui spuit in faciem.  
 Non didicit Christum nisi qui æramenta malignus  
 Irridet, bombos & docet esse lupos.  
 Non didicit Christum nisi qui temerarius audet  
 Omnia sanctorum spernere dicta patrum.  
 Non didicit Christum cui Franciscana lacerna  
 Ex humero pendet plurima adusq; pedes.  
 Non didicit Christum ieiunans tempore certo.  
 Sultano est peior festa sacrata colens.  
 Non didicit Christum manibus qui numina passis  
 Implorat, curuans temnitur atq; genu.  
 Non didicit Christum psallens tibi conditor alme,  
 Exultansq; chorus religione caret.  
 Non didicit Christum nisi qui Mezentijs alter  
 Contemnit diuos, angelicosq; choros.

Non didi

R V S T I C O .

- Non didicit Christum qui te pia uirgo salutat,  
 Angelicumq; tibi concinit illud aue.
- Non didicit Christum natos qui chrismate sacro  
 Vngi permittit nomine Christe tuo.
- Non didicit Christum nisi qui renouarier optat,  
 Baptismumq; iterat credulitate uacans.
- Non didicit Christum nisi qui mendice laborat  
 Dicit mendico, paupere pauperior.
- Non didicit Christum, talpa quoq; cecior ille  
 Fertur, opus qui nunc asserit esse bonum.
- Non didicit Christum requiem qui rite precatur  
 Aeternam, quorum corpora humata iacent.
- Non didicit Christum cui libera abunde uoluntas  
 Asseritur, non est scilicet arbitrium.
- Non didicit Christum nisi qui te Missa nephandum  
 Esse nephas rabido publicat ore suo.
- Non didicit Christum nudat qui uulnera mentis  
 Fœda sacerdoti, mortiferumq; malum.
- Non didicit Christum gaudet qui coelibet uita.  
 Vxorem ducat qui uelit esse pius.
- Non didicit Christum, census, decimasq; libenter  
 Persoluens, illum lurida lepra tenet.
- Non didicit Christum nudato uertice doctis  
 Assurgens, quicquam uix pia turba probat.
- Non didicit Christum doctas qui mittit Athenas  
 Filiolos, multum nil didicisse iuuat.

B

Non didi

DE BELLO

Non didicit Christum cruce signans se ueneranda,  
 Atq; manu gestans signa rotunda precis.  
 Non didicit Christum germanis qui nisi uerbis  
 Vitali infantes amne lauare solet.  
 Non didicit Christum ueteri de more sepulchrum  
 Constituens, stultus qui monimenta cupit.  
 Tales progenerat fructus lachrymabile bellum,  
 Bellorum talis transitus esse solet.  
 Quis poterit deslere satis seruilis bella?  
 Flebilibusq; elegis omne referre scelus?  
 Enceladum si quis uiuit, seuumq; Typhœa,  
 Magnanimum hunc dicunt rustica turba uirū.  
 Hæc ætas sibi blanditur celare perita  
 Verrucas, scabiem, uulnera magna quoque.  
 Et si quem penitus uiciauit lurida lepra,  
 Sunt qui contendant purius esse nihil.  
 Hypsea si quis fuerit quoq; cæcior ipsa,  
 Attamen exuperat lumina milue tua.  
 Toxicæ qui reuomit, fertur dulcissima mella  
 Sparsisse in populos ó deus alme tuos.  
 Cerbereos legit hæc ætas miseranda screatus,  
 Bellorum fructus colligit omnis homo.  
 Callyroen uita referens & moribus atris,  
 Inter Pimpleas rite locanda uenit.  
 Hoc uerum, si cuncta probet, quæ rustica plebes  
 Insanit, sane non erit ullus honos.

Quamuis

R V S T I C O .

Quamuis casta magis non sit Tritonia uirgo,  
 Barbaricis ni sis moribus esse negant.  
 Aures occludas cum uulgius iudicat ipsum.  
 Iudicium uulgi qui fugit, ille sapit.  
 Et sapiunt omnes, damnant qui rustica bella.  
 Qui detestatur rustica bella, sapit.  
 Olim summa fuit capiti reuerentia docto,  
 Contemnunt doctos rustica turba uiros.  
 Solus habet nomen docti quem uexat Erynnis,  
 Et cuius linguam bilis amara regit.  
 Talem progenerant frugem tristissima bella,  
 Bellaq; sunt tali munere nota modo.  
 Vrunt innumeros passim gens rustica libros,  
 Librorum passim copia magna perit.  
 Sed quantum facinus miseri tot perdere libros,  
 Soluereq; in cineres tot monimenta sacra.  
 Rustica dic plebes, enarra barbara plebes,  
 Dic morum pestis, dic fugienda lues,  
 Impulerit libros crepitanti exurere flamma  
 Que causa, infelix, pestiferumq; genus?  
 Qui Phœbus potuit facinus, quiq; aurea Phœbe  
 Aspicere hoc uestrum? qui Deus omnipotens?  
 Nunquam adeo immitis Scyron fuit, atq; Procustes,  
 Et Scinis & Cacus, Cercyon atq; ferus,  
 Ut qui combussit pretiosa uolumina nuper  
 Scruii bello Martius agricola.



DE BELLO

O deflenda dies, nigroq; notanda lapillo,  
 In qua tot noctes flamma perussit edax.  
 Tantalea dignus poena uilissimus auctor.  
 Dignus quippe rota, caucaseoq; malo.  
 Quod uersas ingens auctori Sisyphesaxum  
 Impone, æternum sit tua poena grauis.  
 Nunquam adeo Mauors nostras perterruit urbes,  
 Nunquam adeo reges, belligerosq; duces.  
 Vulcano pereunt altis in montibus arces.  
 Viuitur ex rapto, nulla rapina satis.  
 Flagranti uruntur flamma numero sine uille,  
 Vrunturq; humiles igne sonante case.  
 Thestilis inde sua fugitat cum prole, requirens  
 Nidum pignoribus, filiolisq; suis.  
 Et detestatur multum seruilia bella,  
 Insanos omnes ruricolosq; uocat.  
 Insuper exclamat, pulsat rutilantia clamor  
 Sidera, conuellit Thestilis ipsa comas.  
 Quid clamare iuuat? quid uellere stulta capillos?  
 Non reparat clamor, nec coma uulsa casam.  
 Tu potius crines insano euelle marito,  
 Supplicio hoc dignus stulta maritus erat.  
 Ille quidem est auctor, quæ tu perpeffa, malorum,  
 Et causa est miseri Thestilis exilij.  
 Discite amare uiri sanctam super omnia pacem,  
 Immensum pacis discite amare bonum.

Omnia

R V S T I C O .

Omnia tranquillo florescunt tempore pacis.

Nil non mellissuum tempore pacis erit.

Si quis prætulerit paci lachrymabile bellum,

Hunc perdent misere tristia bella uirum.

Thestilis hinc erras, paci quod bella maritus

Prætulit, in dominos impia bella gerens.

Quid domini faciunt? conducto milite pugnant,

Et pugnant domini, corpore quisq; suo.

Innumeri agricolæ iugulantur Marte feroci,

Ruricolum passim millia multa cadunt.

Nec tot apud notas prostrata cadauera Cannas,

Nec totidem extinxit Pharsala pugna uiros,

Quot nuper cecidere tuis Germania campis,

Campis humano sanguine nunc fluidis.

Tale malum quondam Siculas inuaserat oras,

Id ueterum certe quod monumenta docent.

Nam quidam ingenio fallaci, & mente dolosa,

Pollicitus seruis utile consilium.

Conueniunt, suadet, nec persuadere ualebat,

Difficuit cunctis utile consilium.

Tunc aliud mendax commentum rhetor adornat,

Consilioq; deæ credula turba perit.

Talem etiam nostri agricolæ audiuerunt magistrum,

Tali ruricolæ rhetore bella gerunt.

Atq; etiam talis germanica pectora doctor

Seduxit, tali rustica turba iacet.

DE BELLO RVSTICO.  
*Ista licet sint magna nimis, maiora timenda  
Sunt tamen, immensi Lerna timenda mali.*

τ ε λ ο ς.

IOANNIS ATROCIANI ALI.  
QVOT EPIGRAMMATA RE  
CENS IN LVCEM AEDITA.

AD VALERIVM ARIMASPVV  
*ex barbæ longitudine laudem atq; nomen san-  
ctimonie uenantem.*



**E** Nutris barbam mire tonsoris egentem.  
Barba tua est longa cuspide longa magis.  
Vix totidē uiridi nascūtur gramina cāpo,  
Quot uillos mento sanctulus ipse geris.  
Inferior longe collatus portitor ille  
Squallore horrendus, canicieq; Charon.  
Quid gestare iuuat prolixæ hastilia syluæ?  
Sic domino quisquam charior esse potest?  
Fama uolat, stultæ laudem te quærere plebis  
Ex barba, nomen Christicoleq; boni.  
Crede mihi, inde potest laudem sibi quærere nemo,  
Nec faciet sanctum plurima barba uirum.

Barbatus

EPIGRAMMATA.

*Barbatus licet ipse caper, non hunc tamen esse*  
*Dicimus insigni religione pecus.*  
*Sed si tantus amor populi uenarier ora,*  
*Atq; Evangelici nomen habere uiri,*  
*Exue stultitiam mentis, rectaq; feratur*  
*Pes tuus, errauit pes tuus iste satis.*  
*Abijce uulgares curas, atq; æris amorem,*  
*Nulla sit in toto corde Neera tuo.*  
*Ambitione graues emunda pectoris arcas,*  
*Expurga inuidiæ, luxuriæq; malum.*  
*Vulpeculam exclude astutam, falsumq; Sinonem,*  
*Atque odij uirus, mortiferamq; crucem.*  
*Sæuum expelle animo Martem, sædosq; Neronis*  
*Mores, atque minas supprime terribiles.*  
*Assyriæ nec tu regem sectare pudendum,*  
*Cui magnum nomen Sardanapalus erat.*  
*Mordacem in primis linguam frenare memento,*  
*Nec petulans uerbum prodeat ore tuo.*  
*Displiceat quicquid mundanæ conditor artis*  
*Pestifero inspirat perfidus ore suo.*  
*Extingue & carnis flammæ, incendia nulla*  
*Non accepta deo pectoris arca tegat.*  
*Fac tua mens semper diuino ardescat amore,*  
*Fraterno pectus flagret amore tuum.*  
*Pauperibus ser lætus opem, ser fronte serena,*  
*Obuia pauperibus sit tua larga manus.*

EPIGRAM.

Nec miserum expecta, donec da nomine Christi  
 Flebilibus clamet uocibus horridulus.  
 Auxilium sed praeuenias clamare uolentem,  
 Atq; inopes quæras, pauperieq; graues.  
 Viuito submissus, sisq; omni tempore mitis.  
 Pacem semper habe, sis quoq; pacificus.  
 Si quis te iratus rigido percusserit ense,  
 Fac gladium immotus condat imago tuum.  
 Dilige non tantum officio pietatis amicos,  
 Nam qui læserunt, hos quoq; amare iuuat.  
 Nunc Arimasse uides quænam sit semita recti.  
 Non reddu sanctum plurima barba uirum.

AD INGENVVM ADOLESCEN  
 tem Theodoricum ab Engelsperg compatrem  
 suum, de uera nobilitate.

**N**emo Theodrice est, qui te reprædere possit,  
 Nam recto ingrederis tramite sollicitus.  
 Sola tibi cordi est multu pulcherrima uirtus,  
 Turpibus in uitij's tempora nulla teris.  
 Cumq; alij solcant longas consumere noctes  
 Et Venere & Baccho, iactibus atq; cubi,  
 Tu ueterum monumenta legis uirtutis amator,  
 Et docili includis pectore lecta tuo.  
 Sic iuuat Attalico quenquam de sanguine natum,  
 Credimus

M A T A .

Credimus hoc regum stemmata pulchra modo.  
 Perge igitur dilecte mihi, cuncti s̄q; diebus  
 Fac animo gestes hæc documenta tuor:  
 Nobilitas certe non est in stemmate longo,  
 Nobilitat uirtus, & pia uita uirum.

IN PAMPHAGVM MIRE VO-  
 racem, atq; ea quæ uomuerat resorbentem.

**S**unt hominem qui te dicant ó Pamphage multi,  
 Errant sed magna simplicitate tamen.  
 Namq; putant hominis præter nihil esse figurã,  
 Diuinum ex facie crederis esse animal.  
 Audi, nam paucis quæ sit sententia nostra  
 De te, dicemus Pamphage uera tibi.  
 Es lupus in gluuie toto famosus in orbe.  
 Es uomitu obscœnus, monstrificusq; canis.  
 Nam tua glutiuuit quæ nunc immensa uorago,  
 Hæc eadem insolito cum strepitu reuomis.  
 Vidimus in fluctu sellas, mensasq; natantes,  
 Deucalionæum fundis ab ore malum.  
 Quid tunc conuiuæ? maris ó Neptune profundi  
 Rector diluuiο protege nos miseros.  
 Et quo uita magis tua sit famosa, resorbes  
 Quicquid ab impuro decidit ore tuo.

EPIGRAM.

AD IOANNEM GILHERVUM  
 quomodo q̄s hac tēpestate erūnosa, queat sibi  
 eruditionis famā cōparare apud Germanos.

**O**Mnia contemne audacter, si doctus haberi  
 Expetis, & doctum plebs malefana feret.  
 Literulas ride Græcas, rideq; Latinas,  
 Fac solum placeat barbara lingua tibi.  
 Clama ē suggestu, cunctos errare docendo,  
 Dic tibi sit domini spiritus ille potens.  
 Stultus Aristoteles sit te doctore, Platonem  
 Subsanna magnum, Socraticosq; uiros.  
 Andinum ride uatem, spernatur Homerus,  
 Princeps Romani sordeat eloquij.  
 Dic pueris Cypriæ sacras dictarier artes,  
 Cum pueri discant dogmata Christe tua.  
 Et si quid nescis, simula te scire, perisse  
 Frontem de rebus tempora nostra docent.

IN DANAEN PVELLAM.

**A**ffectas nimium Danae formosa uideri,  
 Non pingit faciem casta puella suam.  
 Hinc suspecta mihi, nullisq; probanda diebus,  
 Quod non uirgineo uiuere more soles.  
 Nescis? nulla pudicitia sine grata puella est,  
 Hac sine turpis erit pulchra Diana mihi.

In Sylua

M A T A =

IN SYLVANVM.

**D**te Syluane mihi, ferrum quid stringere gentē  
 Cogat syluanam, ruricolasq; rudes.  
 Nonne ignorantes quæ sit diuina uoluntas?  
 Et quid mandarit filius ipse dei?  
 Quicquid id est linguam, satis est seruilis bella  
 Authori nunquam læta tulisse suo.

DE TACITVRNITATE AD

Ioannem Valtenbergium.

**Q**ui uitare uelit permulta incommoda tutus,  
 Obseruet celebrem sedulus Harpocratē.  
 Posteriora loqui interdum melius mihi crede,  
 Quàm linguam dixit rusticus Armicola.

IN AVARVM.

**A**vrum si plueret, si pontus funderet aurum,  
 Haud tamen inciperes mitior esse tibi.  
 Discurre, non ulla quies tibi nocte dieq;  
 Tantus amor falsas quærere diuitias.  
 Cum genio indulget tota hæc uicinia nostra,  
 Arrodis solida frustula de Cerere.  
 Cognati accedunt qui paupertate grauantur,  
 Nummos ipse negas ædibus esse tuis.  
 Clamat egens: panem nobis da nomine Christi,  
 Non frangis panem turpis auare tuum.

Quid te



EPIGRAM.

Quid te ipsum maceras? cur te sic perdis amandos  
Quid toties lædis numina magna deũ  
Vtere diuitijs, largire inopi, sceleratam  
Exue nunc mentem turpis auare tuam.

AD D. FRIDOLINVM MEV.  
lium, quam ob causam nolint hodie nonnulli san-  
ctorum, licet Euangelio conformes, legendas  
(ut uocant) recitari.

**S**icere cupis cur displiceat uirtutibus actam  
Diuorum uitam dicier in populo.  
Paucis respondere uolo, breuiterq; roganti  
Est animus nobis pandere uera tibi.  
Nescis? uera fides sanctos erumpit in actus,  
Vera fides fructus gignit adusq; suos.  
Sic domino placuit multum Laurentius ille.  
Sic quoq; Martinus notus ad astra sacer.  
Sed quia ficta fides multis, audire recusant  
Quod morbum nudat, detegit atq; dolum.  
Lucem ferre negat mundi scelerata cupido.  
Fac simules, Christi diceris esse, fidem.

EPITAPHIUM BALDASARIS  
Angeli Rinsfeldensis.

**C**inxit Apollinea Caesar mea tempora lauro,  
Caesar, nobilibus qui fauet ingenijs.

Letabar

M A T A .

Letabar, fore credebam, me uincere posse  
 Nestoreos annos atq; Sibylla tuos.  
 Eheu, fata negant dulcem producere uitam,  
 Palladioq; uetant inuida honore frui.  
 Quod tantum optavi, quàm paruo tempore cessit.  
 Abstraxit Rhenus laureaserta mihi.  
 Rebus in humanis quæ sit fallacia discite,  
 Et quid sit mundus, gloria uana simul.  
 Aetherea letus requiescat spiritus arce  
 Dic lector, graue sit nec pietatis opus.

DE SPECVLO AD ONOPHRYVM  
 Atrocianum filium suum.

**I**nuentum est speculũ quo se ipsum nosceret omnis  
 Mortalis cernens turpe decusq; suum.  
 Formosus quo se sanctis uirtutibus ultra  
 Ornaret, uerum sumeret atq; decus.  
 Deformis, uirtute emeret quod corpori abesset,  
 Et tegetet formæ turpia damna suæ.  
 Et iuuenis flore ex ipso cognosceret esse  
 Tempus, uirtutis quo subeunda domus.  
 Et senior carnis lethales pelleret æstus,  
 Atq; recordetur mortis adusq; suæ.  
 Quondam sic memorant illum Clarij sapientem  
 Multum discipulos edocuisse suos.

Commoda

EPIGRAMA

Commoda magna quidem speculo manare putandū,  
 Si procul a nobis omnis abusus erit.  
 Adueniens mulier speculum formosa salutat,  
 Digrediens iterum, terq; quaterq; facit.  
 Collo diffusos non colligit ordine crines,  
 Soluit neglectos, ni dominus iubeat,  
 Nil capiti imponit, quin sit qui consulat ante,  
 Symmata consimili contrahit illa modo.  
 Illius ad nutum regis mouet improba clunes,  
 Occludit, reseat lumina falsa simul.  
 Ex speculo discit uultum mutare superbum,  
 Discit et incessum continuare suum.  
 Quae natura alios rerum confinxit in usus,  
 Saepo suo ueniunt contaminata loco.

IN FABULAS AESOPICAS.

Fabula grandiloquis olim celebrata Poëtis,  
 O utinam nostro tempore grata foret.  
 Ingenijs rudibus nunquam meliora placebant,  
 Laudantur miseris barbara quaeq; uiris.  
 Carolus indocto confundens omnia suasu,  
 Tersior incedit uel Cicerone graui.  
 Mauius insulso perturbans pectora uersu,  
 Chordas infringit magne Poëta tuas.  
 Gallus Alexander Diomedis grammata uincit,  
 Omnibus est maior foetida glossa libris.

At semel

M A T A .

At semel indignas cessa depromere uoces  
 Barbare, barbariem qui uomis ore nigram.  
 Aesopum liceat nostris uersare puellis,  
 Cortice sub cuius casta Minerua latet.  
 Non hic Pasiphaë Dictæo iuncta iuuenco,  
 Nec Semelen uiciat Iuppiter ille bonam.  
 Hic nec Vulcanus prætupi in amore ligatos  
 Collectis superis detegit arte sua.  
 Sed quæ uel sapiens, uel Pallas docta probabit,  
 Et quæ uirgineis sunt recitanda scholis.

AD GEBHARDVM VVAGNER,  
 de quodam iactabundo, qui dicit: haud dubito carni-  
 fici porrigere ceruicem ob Christi nomen, cū tamē pro  
 pter eundem egeno uix tribuat nummum, nec  
 prauis affectibus resistat.

**E**st qui magnifico uerborum pondere sese  
 Iactitet, & uerbis qui uelit esse fidem.  
 Ille suum haud dubitat collum præbere secandum  
 Carnifici ob nomen maxime Christe tuum:  
 Cum tamen ob Christi nomen uix præstet egentis  
 Ex animo nummum relligiosus homo.  
 Nec frenum imponit, carniq; resistere curat  
 Illius ob laudem, cui pia uirgo parens.  
 Ira scintillant oculi, inuidiæq; laborat  
 Crimine, nec non est seruus auariciæ.

Ambitio

EPIGRAMA

Ambitione tumet pectus miserabile semper.  
 Non est iustitiæ, nec pietatis amans.  
 Vera loqui talem quis credit? iactitet ipse  
 Quam possit, nobis credere pauca licet.

AD LEONARDVM SVSHER DE  
 insano Pamphili amore, qui post multos atq; innume-  
 ros labores, cum se crederet iam nactum potiundæ  
 Glyceræ opportunitatē, oleo perfundebatur.

Pamphilus insano Glyceræ laqueatus amore,  
 Materiem risus præbuit insoliti.  
 Fabula quid sibi uult tacito sub corde uoluntas,  
 Versu me credis ficta referre tibi.  
 Cum liceat, tamen haud nos tempore fugimus omni,  
 Ficta modum debent continuare suum.  
 Nec signum cano, res est uerissima, nobis  
 Digna fide testis Græcia maior erit.  
 Nec te decipiat uulgi stultissimus error,  
 Nec falso expositus doctus Aristoteles.  
 Mentiri certum diuinos multa poetas,  
 Quid sit mentiri corda prophana latet.  
 Si uacat, incipiet nostra enarrare Camæna,  
 Mouerit ut risum Pamphilus insolitum.  
 Virgo erat Ausonium pulchre celebrata per orbem,  
 Cui genitor Glyceræ nomen habere dabat.

Hanc, quia

M A T A .

Hanc, quia multiplici dote & uirtute nitebat,  
 Maxima Pandoræ dona tulisse serunt.  
 Vincebat forma Cypriam, facilesq; Napeas,  
 Atq; Iouis gnatas numina magna nouem.  
 Eloquio Maia natum, ingenioq; Mineruam,  
 Nec non Phoebeos uirgo tenella modos.  
 Virgine de tali uicinas fama per oras  
 Cum uulgaretur, cresceret inq; dies,  
 Spectatum innumeri ueniunt, rarumq; puellæ  
 Tam præcellentis nosse decus cupiunt.  
 Quos inter uenit iuuenis quoq; Pamphilus, alto  
 Sanguine prognatus, magnificisq; uiris.  
 Atq; ut mirandæ conspexit uirginis ora,  
 Persensit uires seue Cupido tuas.  
 Sordescit iuueni Lugdunum & Gallia tota,  
 Sola mihi clamat uiuere Roma dabit.  
 Inde uiam Oenotria potiundi uirgine querit,  
 Querit delicias nocte dieq; suas.  
 Quid non euoluit mente insidiosus amator?  
 Quis quem non uertat Pamphilus arte lapis?  
 Conatur famulas auro corrumpere fuluo,  
 Ancillæ haud capiunt munera missa probæ.  
 Ante edes dominæ psallit conductus Iopas,  
 Et dulces resonant plectra sonora modos.  
 Improbis incassum labor omnis abire uidetur,  
 Ampli suam atq; operam perdit ineptus amans.

C Hæc iog

EPIGRAMA

Hæc igitur secum : iam iam me scribere oportet,  
 Literulasq; istas dictitat alma Venus:  
 Inter mortales ærumnosissimus omnes  
 Pamphilus hoc Glyceræ mittit epistolium:  
 Lugduno ueni Romam comitante caterua,  
 Conspicerem ut formam lucida stella tuam.  
 Et postquam aspexi numen mihi te uenerandum,  
 Exarsit totum pectus amore meum.  
 Nulla quies misero, nam nocte dieq; laboro,  
 Et graue supplicium pectoris arca tegit.  
 Qui possem ulterius tantos sufferre dolores?  
 Non ego si ferrum, marmoreusq; lapis.  
 Vnam igitur noctem petimus generosa puella,  
 Concubitus petimus dulcis amica tuos.  
 Quod si non dederis nostræ spes unica uitæ,  
 Crudeli extemplo morte peribit amans.  
 Istud epistolium Glyceræ legere ministræ,  
 Ignoransq; doli casta puella manet.  
 Consultant famulæ, atq; alijs que grandior æuo  
 Inquit, fallatur perfidiosus amans.  
 Nos Lugdunensem uentura nocte uocemus,  
 Et credet Glyceram sic uoluisse suam.  
 Ecce uocatus adest nocturno tempore Gallus,  
 Concubitus sperans casta puella tuos.  
 Illum sed ridens multo perfundit oleo  
 Ancilla, et dicit, Pamphile stulte uenis?

Hæc res

M A T A .

Hæc res insolitum mouit super omnia risum,  
Et Lugdunensis fabula factus amans.

AD MAXIMILIANVM.  
CAESAREM.

**S**I quis magnanimi nomine principis  
Vnquam dignus erat, maxime tu mihi  
Dignus Cæsar eris. iustitiæ decus  
Te cuncti uocitant, quod meruit tuus  
Candor. quod patriæ te populus patrem  
Romanus, bonitas hoc meruit tua.  
Nam cum bella parant in tua uiscera  
Gentes barbaricæ, Marte ferocior  
Ensem fulmineum stringis, & irruis,  
Et bello patriæ uiscera liberas,  
Hostilesq; doces alta quiescere  
Gentes. arma timent sic tua Santones,  
Nec non Sythonij pectora climatis,  
Et quicquid regio continet Indica.

AD D. CHRISTOPHORVM CO  
mitem de Lupfen, de instabilitate rerum mundanarũ.

**N**onne uides huius quàm fallax gloria mundis  
Nul firmum stultus mūdus habere potest.  
C 2 Quicquid



EPIGRAM.

Quicquid mundanum cunctas mutatur in horas,  
 Mutatur quicquid lubricus orbis habet.  
 Tempora mutantur, mutantur tempore cuncta,  
 Mutandis rebus nec solet esse modus.  
 Aurea nunc lampas spaciosum illuminat orbem,  
 Nunc radios lucis tetra caligo fugat.  
 Quae modo conspicio uernabant prata uirore,  
 Turpia flaccescunt ariditate modo.  
 Qui iam praediues, ualido quoque corpore notus,  
 Inter mendicos claudicat ille modo.  
 Lasciuuit nimium quae nunc formosa puella,  
 Mortua cras modica tecta iacebit humo.  
 Est ubi nunc Croesus regum ditissimus olim?  
 Est ubi Pompeius, Caesar et ipse ferox?  
 Dic, ubi Alexander quondam fortissimus heros?  
 Dic ubi qui solis nobile nomen habet?

EPITAPHIUM MAXIMILIANI  
 CAESARIS.

**H**Ac requiescit humo Caesar ter maximus olim,  
 Caesar cui nomen Maximilianus erat.  
 Immortale tenet coelum, mortale sepulchrum,  
 Spiritus astra tenet, corpus humo tegitur.  
 Mortuus haud igitur Caesar, sed Caesaris ossa,  
 Ossa iacent tumulo, Caesar in arce regit.

Ad D. Hæ

M A T A .

AD D. HENRICVM GLAREA.  
num Poëtam laureatum.

**C**onueniunt raro doctrina & uita probata,  
In te conueniunt hæc duo magna simul.  
Eloquio polles Græco, eloquioq; Latino,  
Vtraq; confluit pectore lingua tuo.  
Manauit quicquid diuino ex ore Platonis,  
Quicquid Aristotelis docte poëta tenes.  
Historias ueterum abstrusas, regesq; uetustos  
Nosti, & qui gessit prælia prima ducem.  
Quicquid amor iusti, quicquid reuerentia legum  
Sanxit, fecundo corde poëta tegis,  
Atq; salutiferi sanctissima dogmata Christi,  
Et quicquid uates concinuere sacri.  
Quis tecum certet? scimus quàm docta Mathesis  
Ingenium exornet docte poëta tuum.  
Nemo te melius uocum interualla peritus  
Iudicat, & curuæ dulcia plectra lyre.  
Iudice te chordis timide certabit Apollo,  
Mulcebit trepide magnus Apollo chelym.  
Non est qui te abaco, numeris quoq; uincere possit,  
Inuictus semper docte poëta manes.  
Tu nosti æthereum uates super omnia cursum,  
Natura est cœli cognita quippe tibi.

EPIGRAM.

Quis sint erronee, & quæ sint sydera fixa,  
 Ostendis docta tu Glareane manu.  
 Monstras stelligeri partes atq; ultima cœli,  
 Et quis se uertit machina tota polos.  
 Prudens Arcturi exortum, Arcturumq; cadentem  
 Monstras, Arcturi tempora quæq; doces.  
 Occasum ipse canis Maiæ, & nimbosus Orion  
 Tempore quo surgat docte Poëta canis.  
 Arctophylax qua sit cœli in regione locatus  
 Discipuli edocti sunt Glareane tui.  
 Discipuli Erigonen norunt, magnumq; Draconem,  
 Atq; etiam chelas Scorpio sæue tuas.  
 Hinc facile efficiunt sphaeras, mundi q; rotundas  
 Componit formas ingeniosa schola.  
 Quis tecum certet? quis sic depingeret orbem,  
 Ut tua depinxit docte Poëta manus?  
 Siquid Nilus habet, si quid Gangetica tellus,  
 Atq; Arabum si quid terra beata tenet,  
 Hoc monumenta docent totum vulgata per orbem,  
 Scripsisti calamo quæ Glareane tuo.  
 Et tua si patitur laudata modestia, dicam  
 Quid clausum seruet pectoris arca mei:  
 Magnus amor recti, uirtutum maximus ardor,  
 Illustrat uitam docte Poëta tuam.  
 Virtutes te certatim exornare uidentur,  
 Vita tua est miris concelebranda modis.

Conueni

M A T A .

Conueniunt raro doctrina & uita probata,  
In te conueniunt hæc duo magna simul.

I N I R R I S O R E M .

**N**IL non irrides, nil non stolidissime rides,  
Irides quicquid mundus & astra tenent.  
Auricomū irrides Phœbū, Lunæq; ruborē,  
Rides tellurem, ueliferumq; mare.  
Cum loquimur rides, rides peruerse tacentes,  
Tu ueterum rides & monumenta noua.  
Irides hyemem, uernantia tempora rides,  
Irides flores, Sythoniasq; niues.  
Irides pacem, rides tristissima bella,  
Irides Martem, pacificosq; uiros.  
Cantantem rides, flentem stultissime rides,  
Noctes irrides, luciferumq; diem.  
Mingentes rides pueros, puerosq; cacantes,  
Dignus perfundi luride stercoreibus.

A D C L A R I S S I M V M I V R E C O N  
sultum, Doctorem Bonifacium Amorbacchium.

**I**Nduperatores quid sanctas condere leges  
Perpulit? & mundo ferrea iura dare?  
Nonne hominum prauis, doctor clarissime, mares?  
Iustitiæq; malis orbita spreta uiris?

EPIGRAM.

Recte igitur dictum, prauis ex moribus ortas  
Esse bonas leges, ferrea iura quoque.

AD ALBANVM TORINVM.

**S**I tibi mellitum misera hac aetate uidetur  
Viuerē, uiue precor tempora Nestora.  
Sed quia nunc studia intereunt Albane diserte,  
Viuerē fellitum credimus esse tibi.

CORNELIUS CURSIUS EMB  
rat paruo aere speculum, quod furtiua ablatū  
manu amare deslebat: & ni consolatus eū fuis-  
set quidā ex amicis suis, dolore contabuisset.

**E**Merat hoc speculum paruo Cornelius aere,  
Sed ueniens illud sustulit atra manus.  
Hinc noctesq; dies ablatum deslet amare,  
Et nisi soleris, morte periret inops.  
Res lachrymis digna, officioso digna dolore,  
Supplicio haud mortis dignior ulla fuit.  
Te flentem qui Corneli solatus amicus  
Quid meruit? summi regna beata dei.

EPITAPHIUM IOANNIS  
AQUILAE.

**H**Anc tu qui transis tumbam dilecte uiator,  
Auribus haec petimus concipe uerba tuis:  
Spectati

M A T A :

Spectati hic cubitant Aquilæ ossa sepulta, decore

Qui doctor Sophiæ, presbyter atq; fuit.

Doctum nil iuuat esse uirum, nihil esse sacratum,

Niliuuat esse bonum, nil iuuat esse pium.

Imperit at mundo mors crudelissima, certe

Nomine nec non re Pamphagus esse solet.

PRO IMPERATORIS TURCARUM

rum imagine, quam nobis donodabat Io. Faber

Emmeus Iuliacensis.

**H**ic est Turcarum foedissimus induperator,  
Christicolas misere qui ferit ense ferox.

Hanc procul à nobis pestem, seu iq; tyranni

Romphoxam, princeps arceat omnipotens.

IN CLAVDIAM EDENTVLAM,

& tamen salacem.

**L**vmina quid iactas? oculos qd Claudia iactas?

Quæ quæris petulans Claudia nunc iuuenē?

Tu potius nunc amissos edentula dentes

Quære, atq; officium Claudia perficies.

IN SERVIAM ANVM

LOQVACEM.

**N**vquam non loqueris, uidit te nemo tacere

Vnquam, nā loqueris Seruia semp iners.

C s Molestia

EPIGRAMA

Molesta es nocti, molesta es stulta diei,  
 Molesta es terra, stelligeroq; polo,  
 Molesta es tenebris, molesta es Seruia luci.  
 Molesta es caelo, tartareisq; locis.  
 De te conqueritur Pluto, superiq; queruntur  
 Quod loqueris noctu, quod loquerisq; die.  
 De te conqueritur per pulchro flumine Cydnus,  
 De te conqueritur Strymonis unda simul.  
 Et magni rogitant montes nunc Pindus & Ossa,  
 Atq; precans superos altus Olympus adest,  
 Vt pereas rogitant omnes, Diuosq; precantur,  
 Vt pereas rogat quilibet usq; deos.

IOANNES GLOTERVS, IOAN-  
 NI ATROCIANO, HVMANO-  
 rum studiorum professori celeberrimo, amicoq;  
 optimo felicitatem.

**P**Egasidum salue tutor facunde cohortis,  
 Vxor salua fiat, saluus & ipse puer.  
 Docta precor mittas Murmelli scripta Poëtae,  
 Voluendi cuius uror amore graui,  
 Quemq; ego uel merito possim conferre uetustis  
 Vatribus ingenio, moribus atq; probis.  
 Nam si sermonem contexit lege solutum,  
 Non est Romano uel Cicerone minor.

Si uero

M A T A .

Si uero inspicias strictum, numerisq; ligatum,  
 Cui similem uelles? cui nisi Vergilio?  
 Hinc referens uita tetricum constante Catonem,  
 Quod datur emisit cernere rite libris.  
 Sermo hominū quæ sit mentis declarat imago,  
 Quid lateat tacito pectore scripta docent.  
 Hoc si non licet, historicum Bene mitte Venutum,  
 Quem tua prædiues bibliotheca tenet.  
 Proinde tibi tanto referam pro munere grates  
 O' utinam dignas, officioq; pares.  
 Nomen habes atrox, numerisq; subesse recusans,  
 Inde salutandi semita clausa mihi.  
 Nomen habes atrox, animus bonitate redundat,  
 Nullaq; non uirtus insita honesta tibi.  
 Viuito iam felix, opto sint omnia salua,  
 Saluaq; sit coniunx, docte SEVERE uale.

IOANNES ATROCIANVS,

Ioanni Glothero respondet.

**S**alue Musicolas inter numerande disertos,  
 Salue quem saluum numina magna uolunt.  
 Quod mihi transcribis mixtam Glothere salutem  
 Laudibus, hoc probitas efficit ingenij.  
 Namq; ego uix ausim tantas admittere laudes,  
 Si tuus haud nobis cognitus esset amor.

si quid



EPIGRAM=

Si quid amiciciæ donandum, credimus illud  
 Donandum, peperit quod generosus amor.  
 Quid sic nos oras? quid me Glothere precaris?  
 Fœdus amiciciæ nescit habere preces.  
 Fidit amiciciæ? fidis hic fidit amicis?  
 Pectus amicorum qui prece sollicitat  
 Murrælli nequeunt ad te uenisse libelli,  
 Ex capsis moti ni ueniant precibus?  
 Quicquid aues promptū est iamiam Glothere uenire,  
 Aedibus in nostris nulla retenta manent.  
 Bibliotheca tenet quicquid Glothere librorum,  
 Aduentum expectat fortis amice tuum.  
 Mittimus ergo tibi Murrælli scripta disertū,  
 Atq; animi nostri mittimus indicium.  
 Hæc documenta tibi semper seruare memento,  
 Atq; animo infigas hæc documenta tuo:  
 Si quis amicorum in numero uelit esse bonorum,  
 Diffidat precibus, fortis amice uale.

AD BEATAM VIRGINEM  
 MARIAM.

**S**alue regali pollens diademate uirgo,  
 Qua non in mundo sanctior ulla fuit.  
 Salue quæ uerum meruisti gignere uerbum,  
 Quod summi prolem credere quæq; decet.

Salue

M A T A .

Salve, sol, luna, aurora, ac sanctissima mater,  
 Omnis fons salve uirgo beata boni.  
 Quis poterit calamo digne depingere laudes  
 Virgo tuas? mater uirgo beata tuas?  
 Non poterit calamo quantumuis magnus Homerus,  
 Nec Flaccus noster, nec Maro Vergilius.  
 Omnia tu superas longe praeconia uirgo,  
 Omnibus es maior sancta uirago modis.  
 Stultum igitur fuerit, laudum tentare tuarum  
 Immensam molem carmine tam tenui.  
 Carmine te potius celebret qui uincere Homerum  
 Possit, qui Flaccum, qui quoq; Vergilium.

AD DEVM OPT. MAX.  
 P R E C A T I O .


**O** Pater aetherea resides qui celsus in aula,  
 Imperioq; tenes cuncta creata tuo.  
 Nos tua progenies multis onerata periculis,  
 Ad tua sidentes limina confugimus.  
 Pulsamus, reserua nobis in nomine Christi,  
 Atq; iuua miseros, seruoq; promptus opem.  
 Officium nec te pigeat praestare paternum,  
 Omnes ingrati quod sumus usq; tibi.  
 Sed potius presta, nostras ut spiritus ille  
 Erudiat mentes, spiritus ille sacer.

P R E C A T I O .

Fac tua seruari genitor præcepta, uoluntas  
Nec tua ledatur candida, sancta simul.  
Vera renascatur pax & concordia fratrum,  
Cana fides uigeat, sit pietatis amor.  
Nullus auariciæ, Veneri uel seruiat, ultra  
Nec noceat gladio qui uiolentus erat.  
Fac seruile genus dominos colat arte repostâ,  
Nec simulet faciens seruulus officium.  
Inspira dominis rorem pietatis, & ordo  
Fac redeat cunctis rebus ubiq; suus.  
Inuidiæ crimen, quo non crudelius extat,  
Euelle ex nobis ó pater ingenite.  
Supprime surgentes animos, cordisq; tumorem,  
Per te non possint esse supercilia.  
Nemo colat uentrem rodendum uermibus olim,  
Te colat omnis homo, tu Deus omnipotens.  
Hæc si tu nobis genitor concesseris alme,  
Sentiet humanum te genus esse patrem.

F I N I S .

BASILEAE APVD IOANNEM  
FABRVM EMMEVM IVLIA-  
CENSEM, ANNO M. D.  
XXVIII.



1405092

OCN 902597159